EXERCITATIO

QUA

SIGNIFICATIO T

VEXATISSIMA

זַרְזִיר, דּוּדָאִים

EX

INTIMA IPSARUM FORMA DISQU

AD

VIRO

SUMME REVE

DN. DAN. ERN. J

SS. THEOL. D. POTENTISSIM

A CONCIONIBUS ET CONSILI

ET

PLURIMUM REV

DN. JOH. PHILI

SS. THEOL. D. GYMNASII

QUOD BEROLINI EST, REC

PRIMAR

MAGNOS LITERARUM SAC

INEUNTE ANNO

SPECIMINIS LOCO ANIMOQUE CON

A

JOH. SIMO

GYMNAS. ILLUSTR. REG. H

ET CONVICT. INS

HALÆ MAG

APUD JOH. ERN. H

ANNO MDCCX

ATIO CRITICA,
QUA
O TRIUM VOCUM
TISSIMARUM,
וַרְזִיר ET תַּחַשׁ,
EX
DISQUIRITUR ET ILLUSTRATUR,
AD
IROS
EVERENDUM
N. JABLONSKI,
NTISSIMO PORUSSORUM REGI
CONSILIIS ECCLESIASTICIS ETC.
ET
REVERENDUM
ILIP. HEINIUM,
NASII ILLUSTR. JOACH.
ST, RECTOREM ET PROF.
PRIMAR.
M SACRARUM FAUTORES,
ANNO MDCCXXXI.
UE CONSCRIPTA GRATULABUNDO
A
SIMONIS,
REG. HAL. SUB-RECTORE
CT. INSPECTORE.

E MAGDEB.
RN. FRITSCHIUM.
MDCCXXXI.

85

I. N. I.

INgenioſe ac ſubtiliter Hebræorum מדקדקים h. e. *Grammatici*, a *ſubtilitate* dicti, *Formas Nominum* ſuorum appellant משקלים *pondera:* quod, ſicut ponderibus rerum gravitas examinatur & cognoſcitur, ita ex Formis Nominum eorundem origo, flexio & mutatio, imo & ſignificatio, æſtimari poſſit atque dijudicari. Ex Forma Nominis judicium ferri poſſe de ejusdem origine & mutationibus, omnibus Grammaticis, tam Judæis quam Chriſtianis, notum eſt exploratumque. Sed ad Formam Nominum ponderari & perpendi poſſe ipſam Significationem, non pauci quoque Eruditorum quovis ævo cenſuerunt non ſolum, (*a*) ſed & ſubinde

(*a*) Ut WASMUTHUS in *Hebr. Reſtit.* Append. I. de Nom. Verbal. BUXTORFIUS in *Theſ.* c. 56. GUALTPERIUS *Gramm. Hebr.* c. 25. DANZIUS ab initio Præfat. ad *Paradigm. Nom. & Verb.* GUSSETIUS in Præfat. ad *Comment. ling. S.* HILLER. *Gramm. Hebr.* c. 9. p. 378. Vir Celeberrimus deque literis S. præclare promeritus, CHRIST. BENED. MICHAELIS, Fautor meus ſummopere colendus, in Coroll. ad Diſſert. de *Vocum Seminibus*, aliique paſſim.

in hunc campum exſpatiati ſunt. (*b*) Iisdem ergo adhibitis משקלים & ego Nomenclaturam Hebraicam ad rationis trutinam hactenus exegi. Neque id ſine omni ſucceſſu. Probavit ſe labor ille meus Viris nonnullis eruditione Hebraica Clariſſimis, maxime vero VOBIS, VIRI SUMME ET PLURIMUM REVERENDI! quorum judicio graviſſimo etiam novum hoc *Arcani* mei Specimen ſubjicio, eo fine conſcriptum, ut varium hujus diſquiſitionis Uſum, quem vel decemplicem prædicare nullus dubito, in una ſaltem re commonſtrem. Poteſt inter alia ex Forma de vocibus controverſis accuratius ferri judicium, atque ex tot ſententiis verior ſemper & convenientior eligi. Res eſt in propatulo. Concluſio per omnia fit a notioribus ad ignotiora. Exemplo ſint tres voces, Interpretibus vexatiſſimæ, דּוּדָאִים, זַרְזִיר & תַּחַשׁ. Ita vero procedam, ut primo varias Interpretum ſententias in medium proferam; deinde genuinam Formæ Nominis dabo ſignificationem, ex inductione ſingulorum exemplorum Biblicorum erutam; denique ſententiam Formæ convenientiorem eoque veriorem eligam ſtabiliamque.

I. דּוּדָאִים

A)

Occurrit hoc Nomen Gen. 30, 14. 15. 16. Cant. 7, 14. & juxta SEB. SCHMIDIUM Jer. 24, 1. totque diſtorquetur conjecturis, quot in uno illius plantæ caule flores pendent vel

(*b*) HILLERUS in *Onomaſt. S.* v. g. p. 35. ſeq. p. 170. ſeq. & in *Hierophyt.* p. 352. ſeq. GUSSETIUS in *Comment. ling. S.* paſſim, e.g. ad עָשׁוֹק, Pl. Rev. LOESCHERUS de *Cauſis ling. Ebr.* l. 2. c. 8. RÜSCHATUS in *Gramm. Hebr.* p. 155. ſeq. RELANDUS in Diſſertat. de *Spoliis templi Hieroſol.* p. 84. ſeq.

vel fructus. Communis eaque inveterata est opinio, *Dudaim* esse *mandragoras* (*c*). Aliis est florum genus, ut vel *lilia* (*d*), vel *violæ* (*e*). PISCATOR, JUNIUS & TREMELLIUS reddunt per *flores amabiles* (*f*). Aliis est aliud quid, ut *balsamum* (*g*), *mala citrea* (*h*), *nuces juglandes* (*i*), *tubera*, Gall.

 truf-

(*c*) Sic post Vulg. LXX. Chald. Syr. Arab. & Judæos nonnullos, ut ABEN ESRAM, Autorem *Michlal Jophi* ad Gen. 30. KIMCHIUM, JOSEPHUM *Antiq. Jud.* l. 1. c. 19. sentiunt CORN. A LAPIDE & VATABLUS ad l. c. LEV. LEMNIUS in *Herbar. Bibl.* aliique apud LUDOLFUM in *Comment. ad Histor. Æthiop.* p. 144. Præ cæteris hanc sententiam adornarunt FULLERUS in *Miscell. S.* l. 6. c. 6. URSINUS in *Herbar. Bibl.* l. 2. c. 6. DRUSIUS pec. Tractat. de *Mandragoris*, DITERICUS in *Antiq. Bibl.* ad Eccles. 2. STUCKIUS in *Antiq. Convival.* l. 3. c. 8.

(*d*) LUTHERUS Cant. 7, 14. PFEIFFERUS in *Dub. Vex.* Cent. 1. Loc. 59. OLEASTER *Comment.* in Genes. FR. GEORGIUS VENETUS T. 1. Probl. 215. & alii.

(*e*) Sic ex Judæis quidam, ut RASCHI, qui reddit per סגלין, de qua voce vid. BUXTORF. in *Lex. Talm.* ELIAS LEVITA apud COCCEJUM in *Lex.* R. LEVI, citante HILLERO in *Hieroph.* P. 1. c. 27.

(*f*) Quibus accedunt OLEARIUS in *Exposit. Bibl.* ad Gen. 30. & Celeb. MAJUS Junior in *Observat. S.* lib. 1. ad Gen. 30, 14. qui tamen cæterum pro *rosa* pugnat.

(*g*) Sic enim *Targum* explicat Cant. 7.

(*h*) DOM. AUG. CALMET in *Observat.* ad Genesin, & in *Dictionar. Bibl.* ad voc. *Mandragora.* Sic quidam apud FORSTERUM in *Lex.* reddiderunt per *poma gratissimi odoris & saporis.*

(*i*) Sic fere Interpres Habessinus, de quo conf. LUDOLFI *Lex. Æthiop.* p. 385. & *Ambar:* p. 61. it. HILLER. l. c.

truffes (*k*), *melonis genus* (*l*), *halicacaba* (*m*), *cerasa* (*n*), *ficus* (*o*), spec. *ficus Indica*, Orientalibus *maus* sive *mus* dicta (*p*), *amomum* (*q*). Ut plures conjecturas (*r*) taceam, quas recensent FULLERUS, PFEIFFERUS, HILLERUS l. c. & ex instituto Liebentanz in *Dissert. de Dudaim*, Witteb. 1670. edita. Alii demum ignorantiam in re obscurissima fatentur (*s*). B)

(*k*) PHIL. CODURCUS apud CALMETUM l. c.

(*l*) Quomodo vertit Metaphrastes Persicus, quem probare videtur GOLIUS in *Lex. Arab.* fol. 429.

(*m*) Apud PFEIFFERUM & FORSTERUM l. c.

(*n*) Quam sententiam prolixe tuetur HILLERUS l. c. & in pec. Dissertat. de *Sulammitidis deliciis ruralibus*.

(*o*) Sic Rabbinorum nonnulli, conf. FORSTER. & STUCK. l. c. it. Celeb. STOCKII *Clav. ling. S.* ad voc. דודאים.

(*p*) Quod post CASP. BAUHINUM aliosque visum JOBO LUDOLFO in *Histor. Æthiop.* l. 1. c. 9. & porro in *Comment.* p. 139. seq. cui adstipulantur MAJUS in *Suppl.* ad COCCEJI *Lex.* p. 22. & in *Dissertat. S.* Loc. 5. it. DAPPERUS in *Descript. Afric.* p. 695.

(*q*) Sic conjicit Doctiss. CLERICUS in *Comment.* ad Gen. 30, 14. quod *amomum*, fructum proferens uvarum instar, odoratum sit & fœminis utile, teste DIOSCORIDE l. 1. c. 14.

(*r*) e. g. de *moris rubi*, de *jasmino*, *sampsucho*, *satyrio*, *origano*.

(*s*) B. LUTHERUS in *Glossa* ad Gen. 30. Niemand weiß, was es seyn soll. Pl. Rev. PFAFFIUS in *Annotat. ad Nova Bibl. Tubing.* Ist alles ungewiß. Liebentanz l. c. Quid *Dudaim* in specie fuerint, certo non liquet. Nihil quoque in specie definit RIVETUS *Exercit.* 129. in Genes. Eodem pertinet Metaphrastes Samaritanus, qui reddit per איתא pl. איתאים, quod vocabulum non explicant Lexicographi. Videtur idem esse cum Arab. אתא *fructus sive proventus arboris copiosus*, rad. *copiose provenit*.

B)

Nomen דּוּדָאִים (â rad. inusit. דוד alias ידד, Arab. ודד, *dilexit*,) esse Formæ Perfectæ פּוּקָד, ut כּוּמָז, עוּגָב &c. nemo facile iverit infitias (*t*). Assumitur nimirum א Epentheticum, vel alternant Formæ Quiescens tertiâ rad. א & Quiescens mediâ, quo Formæ huic respondere queat, sicut in לֻלָאוֹת (*u*). Similis alternatio obtinet in אוֹפָן (*x*). In טוֹטָפוֹת (*y*) eadem de causa prima radicalis geminatur, & in שׁוֹבָב (*z*) tertia. Sunt autem tres Formæ פָּקָר, פּוּקַר & פּוֹקַר transpositæ vel potius geminatæ ex Simplicibus פָּקָר, פָּקוֹר & פָּקוּר: v.g. עוּגָב est pro עָגוּב עָגָב, ex utroque unâ saltem asservatâ vocali. Quod suppositum, statim ulterius declarandum, efflagitat inductio

(*t*) Parum vero ἑβραϊκῶς sentiunt DITERICUS, STUCKIUS l. c. & alii, dicentes, *Dudaim* esse dualis numeri.

(*u*) q. d. *ligulæ ligulæ*, i. e. *distributive, ligulæ binæ ex opposito sibi respondentes, ac uncino* (Hebr. קֶרֶס) *jungendæ.* Id enim requirit Forma vocis. GUSSETIUS contendit, fuisse *foramina*, cujus sententiæ obstat, quod dicuntur fuisse ex תְּכֵלֶת Exod. 26, 4. Procul dubio ejusdem originis est cum לוּל *cochlea, gradus*, & לַיִל *nox*. Significatio generalis, tribus vocibus communis, videtur esse, *intercedere inter duo*, idque vel *ad discriminandum*, (unde Æthiop. לילי *fecit differentiam inter duo*,) vel *ad conjungendum*. Cochlea vel gradus inter duas contignationes intercedit, quo ab una ad alteram transeatur; nox inter binos dies intercedit, eos distinguens; (conf. Gen. 1, 4. 5.) sic ligulæ inter duas cortinas, ad easdem combinandas.

(*x*) *Rota, continuo sese vertens*, a פנה *vertere se.*

(*y*) *Frontalia*, φυλακτήρια, â rad. Chald. & Arab. טוף *spectare, aspicere: quod frequenter & iterato aspicienda essent*, recordationis scilicet ergo, ex mandato Dei Exod. 13. 16. Deut. 6. 8. c. 11. 18.

(*z*) *Continuo se avertens, inconstans*, rad. שׁוּב *avertere se.*

ductio ſingulorum exemplorum Biblicorum. Sunt ergo hæ Formæ, quas *Implicite Geminatas* voco, mere *Iterativæ* Simplicium פָּקֵד , פָּקוֹד & פָּקֻד, ejusdemque fere naturæ cum *Explicite Geminatis*. Atqui omnis *Geminatio* apud Hebræos indicat *Diſtributionem*, *Diverſitatem*, *Varietatem*, *Copiam*, *Continuitatem*. Adeoque hæc Nomina *Implicite Geminata* à verbis *Actionis Tranſitivæ*, notant *Objectum Actionis continuæ & variæ, quæ iterum iterumque repetitur vel repetita fuit* (1); vel *Objectum ipſum iteratum, continuum atque varium* (2). A verbis *Actionis Intranſitivæ* vel *Paſſionis*, ſignificant *Subjectum ejusmodi Actionis iteratæ* (3); vel *Subjectum ipſum iteratum, continuum & varium* (4).

C)

Jam fiat concluſio & applicatio. דּוּדָאִים eſt à ſing. inuſit. דּוּדָא, qui ſi fingatur, vi originis & Formæ ſuæ ſignificaret *Objectum Actionis iteratum, continuum, varium & copioſum*, q. d. *dilectum dilectum*, (conf. עוּגָב) h. e. *flores vel fructus dilecti & grati, conjunctim & copioſe ſive faſciatim creſcentes : congeries* *ſive*

---

(1) Ut שֵׁכָר *potus, ſicera, quæ continuo & copioſe ad ebrietatem usque imbibitur*, rad. *bibere ad ebrietatem usque, potare : inebriare ſe.*

(2) Ut עֵנָב *uva, habens acinos continuo junctos*, rad. Chald. *conjungere, annectere.* Sic עוּגָב inſtrumentum Muſicum, conſtans *tibiis vel calamis dilectis*, h. e. *ſuaviter & jucunde ſonantibus, iisque* vi Formæ *continuo junctis : fiſtula diſparibus ſeptem compacta cicutis*, ut deſcribit CALMET in *Diſſert. de Inſtrum. Muſic.* ex VIRG. *Eclog.* 2. rad. Hebr. *diligere*, Arab. *mirari* it. *jucundum eſſe.*

(3) Ut לֵבָב *cor, continuo iteratisque vicibus vivacitatem ſuam palpitando exſerens.* Sic כּוֹכָב *ſtella, continuo ſcintillans*, rad. Arab. כוכב *micuit, fulſit.*

(4) Ut צֵלָע q. d. *coſta coſta*, h. e. *coſtarum compages : latus.* Sic שֵׂעָר q. d. *pilus pilus*, i. e. *pilorum congeries.*

sive fasciculus florum vel fructuum (5); hinc plur. דּוּדָאִים notabit *plures ejusmodi fasciculos, sive diversas congeries florum vel fructuum, in eadem arbuscula vel ejus caulibus pendentes.* His adde 1.) *Dudaim* habent flores vere ineunte florentes Cant. 7, 14. 2.) Habent fructum tempore messis triticeæ maturescentem Gen. 30, 14. 3.) Habent flores & fructus suavissimos, ita ut â *diligendo* jure dici queant, ut alia suavissima quævis. 4.) Fructus rarior est eoque maxime expetitus. Non ergo *Dudaim* sunt *mandragoræ*, non *tubera*, non *balsamum*; neque etiam *mala citrea*, quia conjunctim & fasciatim non crescunt. Non esse *melones* vel *nuces*, abunde ostendit HILLERUS l. c. Non sunt *halicacaba* vel *ficus vulgares*, odore quippe destitutæ. Non fuisse nudos florum, cito marcescentium, fasciculos, gravibus de causis ab aliis ad Gen. 30. monitum est. *Amomum* quidem botratim crescit, sed in Mesopotamia tam rarum non est, imo copiose ibi provenit, alioque inde defertur; neque etiam tam suave est, ut præ cæteris floribus vel fructibus nomen rei *dilectæ* atque *expetitæ* mereatur. Remanent ergo *cerasa*, remanent *ficus Indicæ*. At *cerasa* sunt fructus vulgaris & ubivis obvius. Palmam ergo defero *ficui Indicæ*, Orientalibus *maus* s. *mus* dictæ (6). Nam 1.) *Musa* illa fructus est præcellentissimus, sapore delicatus ac dulcis, gratusque palato, sive, ut PLINII verbis utar, admirabilis succi dulcedine, adeo usque, ut Doctores Mahometani ferant, hujus

fru-

(5) Lucem aliquam afferet Nomen עֲנָב, quod pariter est Formæ Geminatæ: est autem עֲנָב *uva*, uti dictum, *quædam congeries sive fasciculus acinorum*, & plur. עֲנָבִים *plures congeries sive fasciculi acinorum*, sive *uvæ plures*.

(6) Cujus descriptionem vide apud HOTTING. in *Histor. Orient.* p. 117. ex SIONITA, apud HILLERUM l. c. p. 265, 266. & simul cum figura apud LUDOLFUM in *Histor. Æthiop.* l. 1. c. 9. & in *Comment.* p. 141. seq. ex diversis Autoribus αὐτόπταις.

fructus comestionem Deum primis parentibus interdixisse, quem ubi comedissent, verenda ejus fructus foliis, ad hoc inter plantas reliquas aptissimis, operuisse (7). Unde vulgo audit *Pomum Adami* (8), & *Arbor vitæ* (9). Recte ergo nomen habet â דוד, ut alia suavissima quævis, in lingua Hebr. ab *amando & expetendo* dicta. 2.) Est fructus in Syria rarior nec ubivis obvius, quia calidius poscit clima: quid ergo mirum, eundem Raheli tantopere fuisse expetitum? 3.) Habet flores odorem spirantes admodum & suavem & salubrem (10), eumque rosis non absimilem (11); ipse fructus mense Junio maturescit. 4.) Ex fastigio plantæ nascitur velut thyrsus quidam florum, in morem pinei strobili congestorum, ex cujus malleolis nodisque ficus prodeunt, botratim (12) & quadragenæ vel quinquagenæ, imo centenæ & plures (13), cucumeris magnitudine & forma, uno caule dependentes. Id ipsum vero vult Forma vocis דודאים. Ut adeo nulla supersit causa, cum GUSSETIO (14) & aliis, dubitandi de certitudine sententiæ Ludolfianæ, *Dudaim* esse *Ficus Indicas*. Dubia tamen movit sæpius laudatus HILLERUS in

(7) Referente LEONE AFRICANO l. 9. Conf. CASTELL. *Lex.* ad voc. מוז & DAPPER. l. supra c. Amplectitur eandem opinionem MAJUS in *Dissert. S.* Loc. V.

(8) Teste SIONITA l. c.

(9) Referente GIGGEO in *Thesauro Arab.*

(10) Conf. HILLER. l. c. ex JONSTONO, & BAUMGARTNERI *Itinerario.*

(11) Teste eodem SIONITA apud HOTTING. l. c. DAPPERUS etiam cortici odorem suavem & aromaticum adscribit.

(12) Unde *uvas* vocat OVIEDUS apud LUDOLFUM in *Comment. ad Histor. Æthiop.* p. 143.

(13) Conf. ejusdem LUDOLFI *Lex. Æthiop.* ad voc. מוז.

(14) In *Comment. ling. S.* ad voc. דודאים. *Hæc*, inquit, *conveniunt satis, sed non perducunt usque ad certitudinem.*

in *Hierophyt.* p. 266. sed quæ tanti non ſunt, ut à ſententia noſtra recedamus. Objicit 1.) *Muſas* in Judæa non obſervari. Rſp. Ex Cant. 7, 14. nullatenus infertur, *Dudaim* in Judæa proveniſſe; quod tamen per hodiernam regionis deſolatæ conditionem negari ſimpliciter nequit. Obj. 2.) Serius matureſcere *Muſas* in calidiſſimis regionibus, quam ut in Syria interamni tempore meſſis triticeæ legi potuerint. Rſp. Matureſcit quidem fructus iſte menſe Junio; at meſſis triticea, quæ ſerior eſt hordeariâ, (conf. Exod. 9, 32.) in Judæa, & ſic fere in Syria vicina, finem habebat circa diem 11. menſis Tammuz (15), qui ex parte Junio noſtro reſpondet. Et potuit cauſa tanti appetitus fœminei Gen. 30. fuiſſe, quod fructus à Rubene inventi præcoces eſſent eoque rariores (16). Obj. 3.) Ex foliis Muſæ fieri *corbes*, (Hebr. דורים,) probari non poſſe. Rſp. Nec è ceraſis confici *corbes*, probavit HILLERUS, multo minus *lebetes* vel *ahena*, quæ ſimiliter דורים appellantur. Aliud eſt דּוּדָאִים, aliud דּוּדִים (17). Occurrit quidem Jer. 24, 1. דּוּדָאֵי תְאֵנִים, quod communiter per *corbes ficuum* redditur, quaſi Forma Geminata pro Simplici ſit poſita; ſed id ſine ſimili exemplo. Unde SEB. SCHMIDIUS in Comment. ad h. l. non dubitat vertere *ramos ficubus graves*: ut דּוּדָאִים in genere ſint *caules ficulnei, faſciculis ficuum pleni*; vel potius, ut ſupra

 vidi-

(15) Vid. RELANDI *Antiq. Jud.* P. 4. c. 4. §. 1. & conf. HIERONYMI, in his terris aliquamdiu commorati, *Comment.* in Amoſ. 4, 7. Meſſem triticeam attigiſſe Calendas Junias, obſervat quoque Liebentanz in Diſſert. laudata.

(16) *Præcocium quippe avidi ſunt homines*, inquit ipſe HILLERUS ex Jeſ. 28, 4.

(17) דּוּד q. d. *poſitio*, h. e. *Objectum poſitionis Medians*, *vas*, *in quo aliquid ponitur* ſ. *jacitur*, worein man etwas leget, ut *ahenum*, *olla*, *corbis*, à rad. inuſit. דוד alias ידד & יָדָה *jecit*, *projecit*, Æthiop. ודי *jecit*, *injecit*, *immiſit*, *poſuit*, unde מַדִי *vas*, *repoſitorium* quodlibet, ut Hebr. דּוּד.

vidimus, *ipsi ficuum fasciculi*, spec. & κατ' ἐξοχὴν, *caules ficus Indicæ*, omnium longe excellentissimæ: quod dicere minime absurdum est, cum passim apud Autores Musa nomine *Ficus* veniat (18). Nec obstat l. c. v. 2. occurrere sing. דּוּר (19): nam דּוּר est *Formæ Vicariæ*, ut suo loco demonstro; tales autem *Formæ Vicariæ* etiam pro *Geminatis* usurpantur, significatione nihilominus manente eadem (20), non vero contra.

Pergo ad

II. (מָתְנַיִם) זַרְזִיר, ἅπαξ λεγόμενον Prov. 30, 31.

A)

Hæc vox non minus diversimode exponitur. Vulgo *canis venaticus* (21), vel *gallus* (22); aliis *pardus* (23), *sturnus* (24), *apis* vel *aquila* (25); aliis denique *equus* (26). Sunt quoque, qui indefini-

(18) Conf. MAJI *Dissert.* cit.

(19) Quod urgent KIMCHI in *Libro Rad.* & R. SALOMO in suo *Michlal Jophi* ad Jer. 24.

(20) Qualia *Nomina Vicaria* in *Perfectis* sunt sic dicta *Segolata*. Hinc e. g. צֵלַע quandoque idem significat, quod צֶלַע *latus*; sic אֹהֶל & אֹהֶל (Jud. 19, 9.) *tentorium*; & sic in aliis Formis.

(21) Sic LUTHERUS, MERCERUS, MUNSTERUS, & alii, quos vide apud GEJERUM in Prov. 30. Sic quidam ex Judæis, ut RALBAG ad l. c. & KIMCHI in *Libro Radicum*.

(22) Ut Vulg. LXX. AQUILA & THEODOTIO, Chald. Syr. Arabs, R. JOSEPH apud DRUSIUM in Prov. qui videntur respexisse Arab. cognatum צַרְצַר *gallus*.

(23) Apud KIMCHIUM & R. SALOM. in *Michlal Jophi* ad h. l.

(24) Nam זרזיר Talmudicis, & זרזור Arabibus est *sturnus*. Conf. BUXT. *Lex. Talm.* ad זרזיר, ABENDANA in *Addit. ad Michl. Jophi*, & KIMCHI l. c.

(25) Apud ABEN-ESRAM ad Prov. 30.

(26) Ut BOCHARTO, JUNIO & TREMELLIO, PISCATORI, FULLERO, GLASSIO & aliis.

finite de *quovis homine vel animali forti & veloci* explicant (27). Singularis fuit conjectura J. LUDOLFI, qui per זרזיר מתנים intellexit *Zecoram*, animal Habessinis non ignotum, interque quadrupedia totius orbis omnium longe pulcherrimum (28), ceu ex ore Viri Beati nobis refert Eximium Academiæ nostræ Ornamentum postque Magnum LUDOLFUM Æthiopismi Stator fere unicus, D. JOH. HENR. MICHAELIS (29).

B)

Vocabulum זַרְזִיר est *Formæ Geminatæ:* geminatur enim prima & tertia radicalis, â rad. inusit. זרר vel זור, alias אזר *cinxit* (30). Talis autem *Geminatio*, ut jam supra monitum, apud Hebræos indicat *Intensionem*, *Frequentiam*, *Continuitatem*, *Varietatem*, *Copiam*, *Distributionem*, haud secus ac cum integræ geminantur voces. Hinc ergo זַרְזִיר vi Formæ notat *cinctum cinctum*, h. e. *multis variisque cingulis cinctum*.

C)

Atqui in nullum animal magis quadrat illa denominatio, quam in *Zecoram:* quod ut magis patescat, ecce tibi ejus descriptionem ex TELLEZII *Histor. Æthiop.* l. 1. c. 14. Lumbos ambit circulus coloris nigri, in morem cinguli, quem,, utrinque plures sequuntur, pro corporis portione modo latio-,, res modo arctiores, tam nigri quam cineritii, coloris nitidissi-,, mi, tanta elegantia atque ordine, ut cujuslibet etiam egregii,,

 Picto-

(27) Ut GEJERUS, GUSSETIUS & COCCEJUS in *Lexico*.

(28) Cujus descriptionem exhibet in *Histor. Æthiop.* l. 1. c. 10. & porro unà cum figura in *Comment.* p. 150. seq.

(29) In *Annotat. Uberioribus Bibl. Hebr.* ad Prov. 30, 31.

(30) Unde & זֵר *cinctura*, *limbus*, derivari posset. Vulgo à rad. Aram. זרז deducunt, geminatâ media radicali, sed sine simili exemplo: nam מְחַסְפָּס & חֲצֹצְרָה potius sunt Composita, de quibus alibi.

"Pictoris artem superare videantur. Ex PHILOSTORGIO "l. 3. c. 11. Ζῶναί τινες εἰσὶ ἀπὸ τῆς ῥάχεως ἐπὶ τὰς πλευρὰς καὶ τὴν "κοιλίαν καθήκουσαι, κ. τ. λ. h.e. Cingula quædam (ei) sunt â spina "dorsi ad latera ventremque demissa. Ex literis annuis Goa "1624. a PP. Societatis datis: Tam miraculosus est color & dispo- "sitio membrorum hujus animalis, ut Patres attoniti fuerint "aspectu rei tam elegantis. Hinc duo elicio. 1.) Hanc *Zecoram* revera multis variisque cingulis circa lumbos cingi, ut Forma Nominis vult. 2.) Cum tam miraculosa sit dispositio membrorum *Zecoræ*, dubium non est, quin sit animal מֵטִיב צַעַד *eleganter & egregie incedens.* Nec obstat 1.) quod cincturæ illæ etiam in reliquo compareant corpore. Nam circa lumbos & ventrem maxime sunt conspicuæ, ut ex descriptione patet: denominatio ergo fit a potiori. 2) Quod *Zecora* sit animal in Judæa peregrinum. Quis enim dubitet, SALOMONEM, naturæ indagatorem tam curiosum, animal in toto orbe pulcherrimum ex regione vicina sibi afferendum non curasse? conf. modo 1. Reg. 4, 33. c. 10, 22. Imo probabile est, hac ipsa de causa SALOMONEM animal in Judæa ignotum, adeoque nomine destitutum, per περίφρασιν vocasse זרזיר מתנים.

Superest

III. תחש Exod. 25, 5. Num. 4, 6. &c. Ezech. 16, 10.

Nomen esse animalis, communis est sententia Interpretum, sed nesciunt cujus? Veteres Judæi describunt ut *creaturam diebus Mosis peculiarem*, eamque *versicolorem, similem feli* (31); alibi ut *præditum cornu unico in fronte.* Utrumque absurde. Fuere quoque, qui *bovem* explicarunt (32). Vulgo ob vicinitatem

(31) Ex qua descriptione colligit BOCHARTUS in *Hieroz.* P. I. l. 3. c. 30. eos intellexisse *viverræ* vel *martis genus*, fortasse *zobellam.*

(32) Sic ABEN-ESRA apud FAGIUM, & Anonymus apud VATABLUM in Exod. R. LEVI apud DRUSIUM in Exod.

tatem vocis *taxum* exponunt: quam vero sententiam pro more h.e. solide refellit BOCHARTUS ὁ πάνυ l. c. cui תחש potius est *color hysginus* aut *hyacinthinus*, ex Versionibus Vulgata, Græca, Chaldæa & Syra. Contra tamen COCCEJUS in *Lexico*: Non videtur probabile, nihil nisi colorem notari, quia tum„ non diceretur in pl. תחשים. Plura dubia contra BOCHART. congessit Acutissimus GUSSETIUS, contendens, esse nomen animantis, qui tamen & ipse nescit cujus? Singularis eaque vero similior est conjectura URSINI in *Miscell.* l. 4. c. 2. n. 14. p. 128. תחש fuisse *Corium* sic dictum *Cordubense* vel *Porussicum rubrum*: cui & ego adstipulor, ob sequentes rationes. 1.) Quia inde fiunt calcei Ezech. 16, 10. ubi bene B. LUTHERUS Semische Schuhe (33). 2.) Concinit Nominis origo, â rad. Æthiop. חשי *fricavit*, quod speciatim de *præparatione pellium* usurpatur, quales in Æthiopia fieri solent, unde pellis חשי (hhessuj) *fricando præparata*, quod ab Interprete Æthiopico pro ipso Hebr. עורת תחשים Exod. 25, 5. ponitur. Pro eo Arabes dicunt שחא *rasit pellem*, prioribus radicalibus transspositis, more ipsis tritissimo. Est nimirum תחש Formæ תַּעַר ab ערה, cum ת servili *Prolongativo & Extensivo*, de quo alibi satius: adeoque significat *fricationem, rasionem, præparationem pellis*, & quidem, vi ת *Heemantici, longam & diuturnam* (34), hinc solitâ metonymiâ, *ipsam pellem* hoc

---

putat, תחשים esse תישים גדולים *hircos majores*. GESNERUS apud eundem confert cognatum *thos*.

(33) Quorsum vero inter tot ornamenta melinæ recenserentur baxeæ, quibus ne lixæ quidem & calones libenter uterentur? inquit BOCHARTUS l. c.

(34) Quam lente procedat ejusmodi præparatio pellis, primum macerandæ, depilandæ, purgandæ, defricandæ, lavandæ, post extorquendæ, ungendæ, colorandæ, suspendendæ, siccandæ &c. notum est Coriariis & Cerdonibus.

hoc modo præparatam. 3) Ex Heb
dubio fecerunt suum שחתיאן, (t
Arab. additaque terminatione s
pelle caprina præparatum s. *Cordu*
mira videbitur, cum & alterum
fuerit ex אֵילִים מְאָדָּמִים h. e. *pel*
vulgo vertitur, contra naturam
ctis, iisque depilatis & arte coriari
ergo utrumque integumentum
2.) colore, qui in exteriori erat cœ
juxta Interpretem Samaritanum
que etiam 3.) modo præparatio

VOS, VIRI talium lit
judicate, annuite. Ego vero
verbo דבור על אפניו, h. e. voto,
sidere VOBIS illucescat. Illux
si Deus O. M. gratiam, hactenu
præstitam, porro continuaverit
mis Vestris familiis salvos præs
gotiis annuendo, novo cum anno
res suppeditando. Faxit id Dato
tissime valeatis, meis studiis,
Scribebam Halæ Saxonum, in

(35) Sic sane intellexerunt RASC
& Interpres Arabs, qui re
rium odoratum, quod ex Ar
coriarius. LXX. explicar
pelles rubiâ tinctas. Est a
ria, PLIN. l. 19. 3. qua pell

(34) Qua in re doctissimo BOC

(*

ExHebr. תחש Arabes & Perſæ procul
שחת, (tranſpoſitis literis, ut in ipſa rad.
atione ſervili,) quod illis eſt *corium ex*
ſ. *Corduanum*. Quæ ſententia nemini
alterum Tabernaculi integumentum
h. e. *pellibus arietum*, non *rubicundis*, ut
aturam Conjugationis *Pyhal*, ſed *rubefa-*
te coriaria præparatis (35). Differebat
nentum 1.) pellium ſpecie & præſtantia;
i erat cœruleus ſive hyacinthinus (36),
aritanum niger; in altero ruber; adeo-
eparationis. Et ſic in aliis.

lium literarum amantiſſimi! videte,
o vero plura non addo, ſed finio
e. voto, ut novus hic annus auſpicato
r. Illuxerit autem auſpiciis felicibus,
hactenus VOBIS quam benigniſſime
nuaverit, VOS una cum ſplendidiſſi-
vos præſtando, graviſſimis Veſtris ne-
um anno novas & animi & corporis vi-
id Dator & Fons omnis boni, quo diu-
ſtudiis, ut facitis, usque faventes.
onum, ineunte anno MDCCXXXI.

---

int RASCHI, it. BONFRERIUS in Exod. 25.
s, qui reddit per אדימם: eſt autem *adim co-*
uod ex Arabia Felici aſportatur, unde אדאם
. explicarunt per δέρματα ἠρυθροδανωμένα,
s. Eſt autem *rubia* tingendis coriis neceſſa-
. qua pelles perficiuntur, id. l. 24. c. 11.
mo BOCHARTO minime refragabor.